

BELLI GERENDI RATIO; ARMA; CRUDELITAS IN
CAPTIVOS.

BELLA temere ac ferociter fuscipiunt, nulla fæpe, aut perlevi de caufa. Duces communi suffragio legunt, eosque vel familiarum præcipuarum natu maximos, vel quorum virtus bellica, aut etiam eloquentia perspecta fit. Civili bello nunquam interfesse concurrunt; arma in finitimos tantum movent; neque imperii ac ditionis proferendæ causa, sed ferè ut illatam sibi, vel fœderatis, injuriam ulciscantur. Gladios, & gravidas nitrato pulvere fistulas, à Batavis & Anglis accepere, quibus armis freti, certius & audacius in hostium, atque adeò Europæorum perniciem conspirant. Interdum bella singulari certamine finiunt. Agmina duo, hinc Montanorum, quos vocant, inde Iroquæorum constiterant ante aliquot annos, velut in procinctu. Duces antegressi jam designabant locum ad aciem explicandam, cum unus alterum sic allocutus fertur: Parcamus nostrorum sanguini, imo nostro: manibus nudis rem agamus. Uter alterum dejecerit, is vincat. Placuit conditio. Manus ambo conferunt. Montanus Iroquæum ita delassavit, dolum artemque virtuti miscens, ut humi denique prostratum ligaverit, impositumque humeris ad suum agmen victor detulerit. Clypeos conficiunt è ligno dolato, plerumque cedrino; paulum ad oras incurvos: